

mam dominam Helisabeth Serenissimi domini Lusitanorum regis sororem initum fuit, statim Maiestati Vestrae litteras scripsimus, ex quibus ea perspicere potuit qua laetitia, quo gaudio nos affecti fuerimus. Quae est enim summa observantia nostra erga ipsam benivolentiaeque eius nobis optime cognita in Rempublicam nostram profecto faciunt, ut semper Celsitudinis Vestrae prosperi laetique successus nobis iucundissimi sint. Quod si quid unquam ante hac fuit quo maxime laeteremur, nunc certe id est. De quo litterae Serenitatis Vestrae, quas magnificus dominus Ferdinandus Icius familiaris eius nobis reddidit, eo maiori voluptate nos affecerunt. Nam, et rationes quibus prudentissime motam intelleximus Caesaream Maiestatem Vestram, et longe praeclearissimi ac celeberrimi istius matrimonii qualitas eiusmodi apud nos fuere, ut iucunditatem, quae inerat nobis illud idem auxerit, quod merito Serenitati Vestrae gratissimum esse cognovimus. Ei siquidem laudatissimum est successorem tot regnorum et provinciarum quibus meritissime imperat desiderare, et animum intentum habere usui et emolumento christianae reipublicae pro sua summa religione et pietate erga ipsam, qualem decet esse verum Imperatorem, qui eius princeps est, quodque ideo coniugem sibi deligere voluerit quae populis subiectis accepta esset. Eam vero virtutibus eximiis praeditam esse consentaneum est, cum orta sit quodam serenissimo e genere, de quo sapientissimi reges fuere et sunt. Quo sit ne ulli dubium esse possit quin aliuncta Celsitudini Vestrae quae singulari prudentia sapientiaeque et omni genere boni et virtutum praestat, utriusque parentis simillimam prolem editura sit. Sic itaque nos, nostraque universa Respublica vehementer gaudemus, quod opinio non vana extitit quam de

398* nobis se habere scripsit Catholica Caesareaque Maiestas Vestra, sic etiam pro officio nostro, quia tam honestum gaudium suum ipsa nobis significare suis litteris dignata est, ei respondendum hisce nostris duximus, ut animum erga se nostrum plane cognoscat. Ergo, ipsi gratulamur denuo et cupimus quod huiusmodi conubium felix faustumque sit; Deum quoque Optimum Maximum praecamur ei numine velit suo propitio adesse, atque ita favere, ut liberi nascantur e serenissima Imperatrice quos imperatoria Maiestas Vestra exoptat, et cum iucunditate una ambo, etiam plures ex illis nepotes visuri diutissime vivant. Cumque illi haud dubio tales futuri sint, iure naturae patriae, quales Celsitudo Vestra cupere videtur, tamen ex vita (?) ipsius

adeo diuturnae, quod habebunt exemplum spectatissimum, eo quoque melius confirmetur in voluntate et proposito, tum benemerendi de Republica christiana, tum etiam nostram prosequendi amore, et benivolentia, eadem quam in ipsam gerit Maiestas Vestra, ad coeteras felicitates cuius haec item maxima accedat.

Lectae Senatui.

Die quinto Januarii 1525.

Præstantissimo senatori Marino Sanuto S. D. 399
Laurentius Rocha a secretis.

En tibi do, vir optime, litterarum ad Imperatorem exemplum, quod a me efflagitasti causa scribendi ipsum in tuis annalibus, ut puto. Nam, cum legeretur in Senatu interfuisti, nec ignoras quale sit, scioque ego abs te plura, tum de me dicta fuisse, propter quae ingenii mei eam inventionem stilumque fuisse multi crediderint. Sed non desunt tamen qui me tantum præstare scivisse admirentur, quin potius aliter opinentur, cum me alii, quis auctor fuit ipsarum litterarum, percontati sint, alii etiam me prius electum fuisse dixerint. Quae causa est, quod nullum antea periculum eiusmodi feci. Quamvis enim per multos annos versatus sim in luce frequenti curiae, ubi opera mea in continua exercitatione fuit, sicut scis: quae mihi tamen in eo cui semper potissimum studui, non minus facilis fuisset nulla unquam in ratione habita non quaesita, non inspecta, non cognita est. Sed cuius causa nescio nisi forte mea, sive quod aliis in rebus ita me me gessi ut fere omnibus cogitandi materia dederim, me emolumentum et gratiam comparare illis curavisse, cum litterarum peritia carerem: sive quia naturam non excesserim, qua ut ingenium verum de me fatear parum audeo. Utcumque fuerit me quidem esse mei conscium satis putabam. Quod vero alii me noverint nimicorum opera fuit, quibus plurimum debeo. Te autem ex his praecipuum existimo. Elsi haec mihi obligatio erga te haud nova est, quae nec inveterascere potest tuorum in me meritorum accessione. Nam Deo placeat te fieri auctum dignitate ut sperandum est, certo tenere me faciunt humanitas tua et benivolentia qua me persequeris, quod mihi etiam re plusquam verbis prodesse voles. Vale.